maticam; eodem modo distinguendum est, ac si vouisset expresse, ut sit sacerdos. Quia cum religiosorum arbitrio statum suum dimiserit, & nolint admittere, nisi ad sacerdotium; perinde ad id tenetur, ac si ad sacerdotium vouisset. Quare tenetur addiscere scientiam, quam necessariam putabat; non autem, quam exigi ignorabat. Posteriori modo id contingit, quia neutrius status meminit, sed absolutè religionem vouit, nil aliud considerans. Atque tunc spectandum est juxta regulam *nu.* 56. traditam, ad quem gradum censeatur hic tacitè obligatus; nam si ad solum sacerdotum: eadem distinctione utendum est, an sciverit, vel ignorarit Grammaticam desiderari. Si verò ad gradum laicorum censeatur virtute obligatus, non tenetur scientiam petitam addiscere, sed nolentibus religiosis eum ad laicorum gradum admittere, manet liber à voto.

65 Quòd si utrique statui aptus sit, perinde judicandum est ac diximus *num. precedenti* de remittente arbitrio religiosorum electione sui status. Quia, ut *num.* 56. *in fine* diximus, hic tenetur ingredi ad statum, quem religiosi elegerint.

66 Quando autem dubius est, an vouerit ad statum sacerdotum, an ad laicorum, an indifferenter, an neutrius meminerit, judicandum est eodem modo, quo *n.* 64. diximus judicandum de eo, qui nil determinavit, sed neutrius status meminit. Quia eodem modo tenetur utrique. Ut *n.* 57. probavimus. Et ideò de utroque idem dicendum est.

67 Si verò dubitum sit, an vouens sciverit, vel ignorarit scientiam petitam exigi; judicarem à communiter contingentibus eum non ignorasse. Quia rarissimi sunt ignorantes ad sacerdotii ordinem cognitionem Grammaticæ exigi.

68 Quod diximus de vouente ad ordinem sacerdotalem, quo petitur Grammaticam discere; censendum est de vouente, ut sit laicus, à quo petitur, ut discat officium; nec aliter eum religiosi volunt recipere. Si enim sciebat id requiri, tenetur addiscere; secùs, si ignorabat. Quia supervenit magna difficultas ignorata. Sic *Sotus*, *Aragon. Azor.* allegati *num.* 55. Quod intelligere videtur *Aragon.* etiamsi officium sit facile scitu. Dicit enim non teneri, præsertim si difficile scitu scit. Et ei fauet *Azor.* absolutè enim dixit non teneri addiscere officium. Et potest probari, quia conditio hæc non requiritur per se ad religionis ingressum; & ita petitio hæc videtur excedere vouentis intentionem. At melius *Sotus* limitavit, quando officium illud est scitu difficile. Nam ubi facili negotio addisci potest, non est notabilis mutatio. Et quæcumque conditio, sive per se, sive per accidens requisita, si sit parvi momenti, non excusat à voto implendo. Alias vouens peregrinari Hierosolymam excusaretur, si per accidens ob aliquam causam belli occurrentem oporteret decem leucas circuire.

69 Si autem dubius sit, an se determinarit ad statum laicorum, idem dicendum est, ac de dubitante, an se determinarit ad statum sacerdotum. De quo diximus *nu.* 66. Si autem dubius sit, an sciuerit, vel ignorarit id officium requiri: præsumendum est id ignorasse, ex communiter accidentibus. Quia rarum est, id requiri, & ideò communiter ignoratur.

70 Ultima difficultas est, an non admissus in religionem; sed in perpetuum repulsus ab ea petita, teneatur voto, si religiosi postea cum admittere velint? *Aragon.* 2. 2. *qu.* 88. *articulo* 3. *circa solutionem ad* 2. *fol.* 996. *column.* 2. *& Azor. lib.* 11. *instit. moralium c.* 22. *q.* 5. ajunt hunc non ampliùs voto illo ingrediendi teneri. At diversis fundamentis dicuntur. Nam *Aragon.* id probat; quia quando duorum voluntas ad actum desideratur, uno renuente, alter manet liber. *Azor.* autem id probat; quia alioquin toto vitæ curriculo teneretur ancipiti, & suspenso animo. Et quamuis neuter generaliter loquatur; sed *Aragon.* de vouente ingressum certi monasterii, *Azor.* autem de vouente certæ religionis institutum. At utriusque ratio idem concludit, quando quis vouit religionem indeterminatè, & adhibita sufficienti diligentia ad implendum id votum, non admittitur, sed in perpetuum expellitur. Et potest ampliùs hæc sententia probari. Quia aut expellentibus in perpetuum religiosis, manet irritum votum, aut suspensum. Si irritum, non ergo revivisset, cum non iterum emittatur. Si suspensum, ergo ille non poterit umquam ad nuptias transire. Quod dictu absurdissimum est. Tandem, quia hæc voti obligatio tacitam habet conditionem, *si apposita sufficienti diligentia monachi non repulerint in perpetuum, sed admittere voluerint*. Cum ergo conditio illa admissionis defecerit, deficiet quoque omnino voti obligatio.

71 At res hæc non caret difficultate. Primò, quia fundamenta contraria non probant intentum. Non primum, cum enim votum non emittatur in religionis, & religiosorum favorem, sed in Dei honorem, & ad spiritualem vouentis utilitatem, nequeunt religiosi cedentes jure suo liberare vouentem ingressus obligatione. Sed eorum voluntas solùm desideratur tamquam conditio, fine qua non potest hic suum votum exequi. Et ideò quandiu religiosi noluerint admittere, excusabitur hic à voto; at iterum posita conditione, nempe, volentibus religiosis admittere, tenebitur ingredi. Nec secundum, & tertium etiam urgent. Quia apposita illa morali diligentia, & refutatus in perpetuum, potest desperato jam ingressu ad nuptias transire. Et sic non tenebitur ancipiti, & suspenso animo in perpetuum. Quippe potest se à voto liberum existimare. At hoc non impedit quominus posita postea conditione voluntatis admittendi, teneatur suo voto. Quod in rei veritate non irritum, sed suspensum erat; at putabatur irritum, eò quòd facultas implendi desperabatur. Et hoc sufficit ad licitè ineundum matrimonium. Sicut si quis à viro docto existimato deceptus esset, asserente sibi quoddam castitatis votum fuisse irritum, licitè inter matrimonium. Cum tamen votum non sit irritum, sed tale putaretur. Similiter si quis in oppido aliquo existens in die festo, prudenter desperaret facultatem audiendi sacri, posset eo non audito, quocumque ire; eò quòd se impotentem ad audiendum existimabat. At si casu transiret sacerdos volens facere sacrum, teneretur utique audire; eò quòd existimata audiendi impotentia cessauit. Sic ergo religiosis admittere nolentibus, sed in perpetuum repellentibus, excusabitur ille à voti obligatione, ob rationem existimatæ exequendi impotentiæ. At ubi invenerit se posse implere mutantibus illis voluntatem; tenebitur utique. Nec etiam urget ultima ratio. Quia fateor eam inesse conditionem; at cum tacitè insit, non reddit actum conditionalem, etiamsi exprimeretur. Et cum tractum habeat successivum, non irritabitur voti obligatio, ex quod nunc non admittant, sed suspendetur, donec mutata voluntate ponatur conditio. Sicut præcepta audiendi sacri, & confessionis, ac communionis, tacitam conditionem claudunt, *si adsit sacerdos volens facere sacrum, audire confessiones, porrigere Eucharistiam*; at non extinguetur præceptum deficiente semel ea conditione, quod unicus sit sacerdos, & ille nolit hæc efficere, sed suspendetur, obligabitque eo mutante voluntatem. Secundò probatur hæc pars. Quia alias non teneretur religionem ingredi, si nullam petierit, eò quod viri docti, & probi religiosi judicarunt in nullam eum religionem admittendum; vel si medici periti judicarint eum perpetuo morbo laborare; ac proinde religioni ineptum; si postea constet eos deceptos volente religione admittere; vel eo ad pristinam sanitatem integrè restituto. Similiter sequeretur eum liberum manere, si non admittereturè, eò quòd falsi testes deposuerit eum ab Hebræis originem trahere; si postea constet falsitas, & velint religiosi admittere. Quippe in omnibus his casibus eadem prorsus ratio apparet, cum in omnibus illis adhibuerit moralem diligentiam sufficientem, ut justè existimaretur à voto liber; & sic in omnibus illis poterat justè ad nuptias transire. Et ideò hæc pars mihi verior videtur. Atque eam tenet *Abulensis c.* 30. *Num. q.* 53. quamvis non approbem ejus sententiam in omnibus, quæ *ibi*, docet; ut statim dicam *n.* 73.

72 Hinc deducitur, non admissum, eo quòd litterarum, aut officii mechanici ignarus sit, nec obbligatum ad ea addiscenda, ut admittatur, & ideò liberum ad ineundum matrimonium, teneri eam religionem voto promissam ingredi, si postea addiscat. Quod cessarit impedimentum repulsæ; & nil referat, quo pacto cessarit, an scilicet, mutantibus religiosis voluntatem, an eo addiscente.

73 Hæc tamen dicta *duplici numero præcedenti* intelligerem, si hæc accidant, nempe, ablatio impedimenti, aut cognitio falsitatis illius, aut nova religiosorum voluntas illius admittendi, manentibus rebus in eodem statu. Nam si hic, qui vouerat religionem strictiorem, & ab illa ob causas dictas excusatus, esset jam novitius in alia religione, quando impedimentum cessat volentibus religiosis admittere, vel quovis alio modo, non tenebitur egredi. Nec similiter tenebitur, si jam inierat matrimonium, etiamsi viduus effectus sit. Ducor, quòd res notabiliter mutatæ sint; & licèt ea mutatio non sit sufficiens, ut culpabiliter secuta excusaret à voto; at quando omnino absque culpa, & quando jam ille voto satisfecit adhibens debitam diligentiam, non ita amare illa voti obligatio accipienda est, ut dicamus eum teneri ea mutatione facta. Quippe negari non potest ingressum semel religionem, levitatis, & inconstantiæ notari, si eam deserat, etiam ut ad strictiorem transeat; & difficilius multò esse expertum semel nuptias ad religionem transire. Quare non approbo, quod tradit *Abulensis c.* 30. *Numerorum q.* 53. ubi ait voventem strictiorem religionem, & eò quòd in illam admissus non est, ingredientem laxiorem, teneri postea volentibus strictioris religiosis eum admittere, ad illam transire. Et clarè loquitur, etiamsi jam in laxiori processus sit. Dicit enim transituram licentia petita, etsi non obtenta; & jam non esse sui juris. Quæ de solo professo vera sunt. At hæc sententia in professo est contra textum expressum, *c. penultimo de regularibus in* 6. Ut diximus *num.* 16. In novitio autem judico probabiliorem contrariam ob rationem mutationis traditam. At cum hæc mutatio cesset eo deserente religionem illam laxiorem, tunc credo teneri ad prius strictioris votum. Quod non credo de conjugato facto jam viduo. Quia adhuc mutatio perseverat, multò enim difficilius est huic continere.

SUMMARIUM.

Voto religionis quando satisfaciat ingrediens cum animo exeundi? num. 74. 75. & 76.

Quid, si dubium sit, an vovens malo animo ingressus sit, vel cum mutarit? num. 76.

Votum ingrediendi; & statim exeundi, an valeat? num. 77.

Quid, si votum sit cum animo exeundi, vel non contrahendæ majoris obligationis ad perseverandum ea, quam habent ingredientes religionem absque voto? n. 78.

Quid, si illo vouerat religionem, ut exeat? n. 79.

An votum perseverandi in religione obliget præcisè ad perseverantiam? Refertur quædam sententia, num. 80.

Explicatur sententia Auctoris, n. 81.

Quid si nova difficultas supervenit, vel ille sit impubes, & extrahatur à parentibus, vel tutoribus? num. 82.

An differant Voveo religionem, *vel* me faciendum, aut futurum religiosum, *& obligent ad perseverantiam? Et quid de voto moriendi in religione? n.* 83.

An votum disjunctivum perseverandi in religione, aut xenodochio inserviendi, assumpta semel religione, obliget ad perseverandum? num. 84.

An votum religionis cum intentione perseverandi, adstringat ad perseverantiam? num. 85.

In dubio, an votum sit ingressus, an perseverantia, ad quid obliget? num. 86.

An bis peccet deserta religione, qui vouit ingredi, & perseverare? num. 87.

Vovens religionem cum expressa intentione gaudendi libertate exeundi tempore novitiatus, an satisfaciat egrediens absque justa causa? num. 88.

An si vouent religionem absolutè, satisfaciat ingrediens & postea exiens? Refertur quædam sententia, numero 89. *Et sententia vera, numero* 90. *Ubi quid, si votum sit ingrediendi Carthusiam, si in quam intrem, an ingrediens possit liberè exire?*

Quid in dubio utra harum intentionum votum emissum sit? numero 91.

Quid distet inter exeuntem absque justa causa, cum voto, & sine illo? num. 92.

An exiens ex causa peculiari, quæ non concurrit in alia religione, teneatur ex voti ingredi aliam? num. 93.

An votum determinata religionis obliget, aut castitatis, aut cujuscumque alterius rei, quando commutatur in aliam, & ex justa causa deseritur, aut vovens non admittitur? numero 94.

Quid, si votum laxioris commutetur propria auctoritate in strictiorem, & hæc deseratur, quia viribus impar; aut non admittatur vovens? num. 95.

Quid, si non animo commutandi ingressus est strictiorem? numero 96.

Quid, si bona fide commutavit in ingressum religionis, cujus non erat capax secundum ejus statuta; vel postea editum est statutum, vel ex falsa informatione non admissus est, ut postea expulsus? num. 97.

Quid, si post votum strictioris religionis emisit votum laxioris, aut serviendi perpetuò xenodochio; an non admissus vel egressus, vel expulsus teneatur ad posteriora vota? n. 98.

Qua sint causæ justæ egressus, ut censeatur voto religionis satisfactum? à n. 99. *usque ad* 104.

Et an teneatur iis cessantibus redire? n. 105.

Quid, si fuit votum perseverantiæ? n. 106.

Quid, si expellatur, eò quòd secundum illius religionis statuta incapax est? n. 107.

Quid, si ob suas culpas expellatur? n. 108.

An liberetur voto, admissus eo solo fine, ut eis satisfaciat, & postea expellatur? n. 109.

Post n. 109. *invenies alia summaria.*

74 Quæstio quarta. An votum religionis obliget ad perseverandum in ea, an potiùs illi satisfiat ingrediendo, & postea novitiatus tempore exeundo? Qua in re præmittenda est intentio in ingressu requisita, ut eo satisfiat religionis voto. Hæc enim debet esse animo experiendæ religionis bona fide. Quare si vouens ingrediatur animo exeundi, eo ingressu votum non implet exeundo postea, sed ex vi voti emissi tenetur voluntatem mutare, & habere animum experiendæ religionis, num ejus institutum sibi conveniat. Ratio est, quia eo ipso quod actus promittitur, censentur promissæ omnes circumstantiæ, sine quibus ille non esset apta voti materia. (Ut probavimus *c.* 11. *num.* 30.) At ingressus religionis animo statim exeundi est vanus, & proinde inepta voti materia. Et ita docent *D. Thom.* 2. 2. *quæst. ult. artic.* 4. *ad* 3. *Ricardus* 4. *dist.* 38. *art.* 8. *qu.* 3. *& ibi Palud. quæst.* 4. *artic.* 1. *n.* 7. *Henricus c. penult. num.* 1. *de voto*, *D. Anton.* 3. *parte tit.* 16. *c.* 2. §. 4. *Rosella*, *verbo Religio* 3. *in fine*, *Abulens. c.* 30. *Num. quæst.* 93. *&* 99. *Angelus verbo Votum* 3. *num.* 18. *Sylv. verbo Religio* 2. *q.* 19. *Tabiena*, *verbo Novitius quæst.* 7. *numero* 8. *in fine*, *Navar. summa c.* 12. *numer.* 47. *in fine*, *Viguer. lib. institut. cap.* 17. §. 1. *versic.* 23. *Palacios* 4. *d.* 38. *disputatione prima immediate ante* 13. *conclus. fol.* 849. *columna secunda*, *Valentia* 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 4. *quæstione* 4. *versic. Unde rectè*, *Azor. lib.* 11. *instit. moral. cap.* 22. *qu.* 6. Quare non est audiendus *Gandavo quodlib.* 3. *q.* 19. dicens satisfieri huic voto ingrediendo cum exeundi animo.

75 Hoc tamen temperandum est, quando ingrediens firmum exeundi propositum haberet; secùs si cum illo exeundi desiderio haberet propositum dandi operam, ut Deus immutet cor, ut vel sic perseueret. Tunc enim satisfaceret voto, etsi postea non potens quiescere exiret. Quia bona fide, & studiosus fuit ingressus, cum id, quod in se est, præstet, quò ille effectum consequatur. Et ita docent *Ricardus*, *Henricus*, *Angelus*, *Sylvest.* allegati *num. precedenti*.

76 Secundò temperatur, nisi is cum animo non perseverandi ingrediens, exeat postea ex justa causa. Tunc enim voto satisfecisse censeretur, eò quòd justam egressus causam habuerit. Hoc dicit esse probabile *Palacios dist. disp.* 1. *post* 12. *concl. fol.* 848. *column.* 3. etsi postea vacillet dicens satius esse huic dispensationem voti impetrare. Sed dicendum est, hunc non satisfacere, quamdiu non expertus est bona fide religionem, eo pravo animo mutato. Quia cum substantia ingressus minimè mutata sit, nec illa apta fuerit ad satisfaciendum voto, non censetur illa satisfactum. Alias nullum esset discrimen inter hunc, & ingredientem bona fide. Cum nec hic satisfecisse videatur nisi ex justa causa egrediens. Ut dicemus *n.* 90. Quare meritò Doctores *n.* 74. allegati hanc limitationem non apposuere. Quòd si dubius sit, an mutarit postea animum, adhuc non censetur satisfecisse. Quia est certus de malo animo à se concepto; & sic certum est illo ingressu non impletum esse votum. Mutatio autem animi, & excusatio sunt dubia; nec cum sint quid facti, præsumuntur. At si omnino dubitet, an cum eo malo animo ingressus sit, potest quiescere. Quia delicti præsumptio vitanda omnino est, proinde non est, cur in eo dubio malus animus præsumatur.

77 Hinc deducitur votum ingrediendi religionem, & statim exeundi, esse irritum. Quia quo ad secundam partem est de re mala; imò & prima cum eo animo est mala, & inepta voti materia. (Ut diximus *num.* 74.) Non enim hic vouet ingressum bona fide ad experiendum, sed mala fide ad exeundum. Sic docent *Ricardus*, *Henricus*, *Abulensis*, *Angelus*, *Tabiena*, *Azor.* allegati *numero* 74. *Armilla verbo Novitius numero* 10. Quod intelligendum est, quando per modum unius est utraque pars promissa. Juxta regulam traditam *cap.* 10. *num.* 3. Atque in dubio, quando non constat de contraria intentione, censendum est per modum unius hoc promitti. Cum apertè vouens hic suam intentionem expresserit non ingrediendi ad permanendum. Quarè merito Doctores allegati dixere absolutè hoc votum esse irritum.

78 Imò idem dicendum est, si voueret ingressum cum animo exeundi. Quia talis ingressus est malus: & ideo votum est irritum. Ita tradunt *Ricardus*, *Henricus*, *Paludanus*, *Abulensis*, *Viguerius* relati *num.* 73. *Sot. l.* 7. *de just. quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 3. *versic. Ex hac autem definit*. At hoc intelligendum est in duplici casu. Prior est, quando ille exeundi animus comprehenditur sub voto. Secùs, quando votum tantùm concomitatur. Tunc enim cum votum sit ingressus religionis, qui bonus est, nec circumstantia reddens malum claudatur sub voto, valebit votum, ac obligabit ad legitimum religionis ingressum. Sicut si quis voueret se auditurum sacrum, cum pravo invisendæ fœminæ desiderio, valeret votum tamquam rei bonæ, si malum id desiderium non claudatur in voto. Ita docet *Azor. libro* 11. *institutione moralium*, *cap.* 22. *quæst.* 6. In dubio autem qualiter prava circumstantia afficiat rem promissam; dicendum est idem, quod de prava finis circumstantia in eodem dubio, diximus *cap.* 6. *in fine*. Cum eadem sit ratio. Posterior est, quando vouens intenderet non obligare se ad aliud, quam ad ingressum sine ulla experiendi obligatione, sed cum libertate exeundi pro libito. Quia sic ingredi non est bonum, nec juri conforme. At valeret votum, si hic vellet se obligare ad experiendum, sicut ingrediens bona fide absque voto ingredi solent; nolens tamen novam aliquam perseverandi obligationem sibi imponere, præter illam, quam ingredientes absque voto habent; ita ut exiens absque legitima causa non ampliùs quàm illi, peccet. Quia sic ingredi est optimum consilium. Et ita videntur clarè supponere Doctores, quos *n.* 88. referam.

79 Quòd si ille voueret religionem, ut exeat, *Ricardus*, *Abulensis*, *Henricus* citati *n.* 74. *Major. in* 4. *dist.* 38. *q.* 2. *in fine*, *Angelus verbo Votum* 3. *n.* 18. ajunt id votum fore nullum. Quia finis est malus. Hoc tamen intelligendum est, quando exitus ille esset materiæ promissæ finis. Hoc enim modo finis irritat votum. Ut diximus *c.* 6. *n.* 13.

80 Hoc supposito duplex est principalis difficultas. Prior est, an uouens non solùm se ingressurum in religionem, sed in ea perseveraturum, seu professurum, teneatur ita perseverare, ut non liceat sibi ex causis justis egredi; sicut liceret solo ingressu promisso? Duplex est sententia. Prima ait nil interesse inter votum ingressus, & votum perseverantiæ: atque ita utrumque impleri ingrediendo bona fide, & animo probandi, & postea ex justa causa egrediendo. Ducitur, quòd utrumque votum intelligendum sit secundùm canones annum novitiatus concedentes, ut si experta religio non placeat, integrum sit egredi; ac subinde in eo perseverantiæ voto hæc tacita conditio jure ipso inest. Hanc sustinent *Sotus lib.* 7. *de justit. quæst.* 2. *artic.* 1. *ad* 3. *versic. Ex hac autem definitione*, *Aragonius* 2. 2. *quæstione* 88. *artic.* 3. *circa solutionem ad* 2. *fol.* 996. *column.* 2. *versic. Est aliud dubium*, *Petrus de Ledesma* 2. *tomo summæ*, *tractatu* 10. *cap.* 3. *dubio* 7. *casu* 4. Et videtur tenere *Emmanuel Sà summa*, *verbo Votum*, *in principio*, *n.* 13. ait enim quosdam tenere hanc partem: & non improbat.

81 Secunda sententia (& quidem verissima) est teneri, hunc ex vi voti perseverare, & profiteri, & ideò non liberari voto, egrediendo ex causa justa, sed teneri iterum ingredi, ac profiteri. Ducor, quod hic duo promiserit, nempe, ingressum, & perseverantiam. Non ergo solo ingressu

satis-

satisfacit, nisi perseveret, & profiteatur. Secundo, quia promittendo perseverantiam, eo ipso cedit juri in ipsius favorem introducto, nempe, facultati egrediendi anno novitiatus. Nam ei juri renuntiari posse deciditur, *c. Ad Apostolicam, de regular.* Quod etsi correctum sit per *Tridentinum sessione 25. de regular. c.* 15. id solùm est ad effectum, ne valeat professio ante novitiatus annum expletum. Non tamen abstulit facultatem cedendi suo juri, obligando se voto aliquo simplici ad non gaudendum libertate exeundi eo anno, sed adstringi ad professionem. Ut ex ipso contextu constat. Tandem, quia profiteri existentibus justis illis egressus causis, est res bona. Ergo votum illius obligat. Ex hisque constat solutio rationis contrariæ; quia canones eam facultatem egrediendi concedunt non cedentibus juri suo. Et ideò hanc tenent *D. Thom.* 2. 2. *q. ult. art.* 4. *corpore, & ibi Cajet. dub.* 1. *Hostiens. summa tit. de voto n.* 16. *in fine, Astensis* 2. *p. summa, l.* 6. *tit.* 47. *art.* 8. *q.* 3. *Henricus c. penult. n.* 1. *de voto, Abulensis c.* 30. *Numer. quæst.* 95. *ad* 1. *& q.* 93. *&* 99. *D. Anton.* 3. *p. tit.* 16. *c.* 2. §. 4. *Rosella verbo Religio* 3. *n.* 5. *Angelus verbo Novitius n.* 12. *in fine, ubi Armilla n.* 10. *Sylv. verbo Religio* 2. *q.* 19. *Navar. summa c.* 12. *num.* 47. *& lib.* 3. *consil. tit. de voto in prima editione, consil.* 23. *num.* 3. *& consil.* 26. *n. unico, & consil.* 27. *nu.* 3. *in* 2. *consil.* 7. *n.* 3. *& consil.* 26. *num. unico, & consil.* 35. *n.* 3. *Covarr. de pactis* 1. *parte* §. 3. *ad finem, Palacios* 4. *dist.* 28. *disp.* 1. *post* 4. *cond. fol.* 828. *col.* 2. *Philiarcus de offic. sacerd. t.* 1. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 20. *in fine, Valent.* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *puncto* 4. *q.* 4. *versic. Unde rectè, Azor. lib.* 11. *instit. moral. c.* 22. *q.* 8. *Ludovicus Lopez* 1. *p. instruct. c.* 45. *in initio, Manuel.* 2. 1. *summa c.* 95. *n.* 7.

82 Cæterum quantumvis hic perseverantiam voverit: si talis aliquam magni momenti difficultatem in religione experiretur, quam tempore voti invincibiliter ignorabat; aut superveniat alia notabilis difficultas poterit licitè egredi. Quia hæc notabilis rerum mutatio excusat à voti obligatione. (Ut probavimus *hoc lib. c.* 2. *a num.* 20.) At cessante postea eo impedimento, tenebitur iterum illam ingredi, si illam specialiter vouisset. Quòd si religionem in genere vouerit, & in alia non esset ea difficultas, teneretur illam ingredi. Quia votum religionis, quo ad perseverantiam nondum impletum est. Atque id impedimentum excusat solo tempore, quo durat, & respectu solius religionis, ad quam est. Quid autem si extrahatur à parentibus, vel tutoribus dicemus *cap.* 18. *num.* 31.

83 Hinc deducunt *Cajet. Armilla, Covarr. Palacios, numer.* 81. allegati promittentem se futurum religiosum teneri perseverare: secus si promitteret religionem, vel fore, ut fieret religiosus. Censent enim diversa esse vota sub his formis emissa. Quippe nullus est religiosus, nisi professione emissa; at solo ingressu in novitiatum, est verum ipsum ingredi religionem, fierique religiosum. Cum novitiatus via sit, ut quis religiosus efficiatur. At hæc differentia displicet, & omnia hæc vota eumdem sensum efficiunt, nec secluſa speciali vouentis intentione obligant ad perseverandum. Quia communiter per omnia hæc verba solus ingressus promittitur. Et ita docent *Azor. l.* 11. *instit. mor. c.* 22. *q.* 7. *Emmanuel Sà summa, verbo Votum, in princ. n.* 13. Votum autem moriendi in religione, est manifestum perseverandi votum. Ut benè docet *Nav. l.* 3. *consil. tit. de voto, in* 1. *edit. consil.* 22. *n.* 3. *in* 2. *consil.* 7. *n.* 3.

84 Quòd si votum fuit disjunctivum perseverandi in religione, vel serviendi perpetuò xenodochio, aut alterius operis pii efficiendi: & animo implendi voti ingressus est, hic vouens religionem, videtur adstringi ad perseverandum, & jam non ampliùs posse resilire, & eligere alteram disjunctivæ partem. Quia facto ipso videtur perfectè eam disjunctivæ partem elegisse. Et ita jam non erit integrum variare. Cum animo implendi voti eam partem elegerit. At existimo non teneri perseverare, sed liberum sibi esse alteram disjunctiuæ partem eligere: nisi constet de expressa ejus intentione fuisse, eam partem perfectè eligere, votumque sunm ad illam coarctare. Quod contingit in casibus, quos latè explicuimus *c.* 33. *a nu.* 36. Ducor, quòd incipere alteram partem exequi, non sit perfecta electio, quin liceat retrocedere, & alteram eligere: imò, & in his votis disjunctivis integrum est, nunc unam, nunc aliam partem præstare. (Ut probavimus *eo c. decimo tertio, num.* 20.) Et hoc præsertim in religionis ingressu locum habet. Cum enim communiter animo experiendæ religionis fiat: is à communiter contingentibus præsumendus est, dum de alio non constat. Quare ingressus ille censetur factus animo experiendi, an expediat vouenti eam partem voti implere, perseverando in religione.

85 Atque non solùm perseverantiæ votum, sed etiam votum religionis cum intentione perseverandi obligat juxta aliquos ad perseverantiam. Quia licèt propositum per se ad id non obliget, obligat tamen cum illo voto. Sic tradunt *Host. summa tit. de voto, n.* 16. *in fine, Palud.* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 1. *n.* 9. qui addit teneri hunc vel in illa religione, vel in alia perseverare: & si nullam se sustinere posse experiatur, posse ad sæculum redire, non tamen ut instar sæcularium viuat. At non est his credendum. Quia dum propositum illud non clauditur sub voto, sed illud tantùm concomitatur, nullam obligationem inducit: Aliàs omnes promittentes religionem tenerentur perseverare, cum semper animo perseverandi affecti sint tempore voti. Et ita docent *Ricardus* 4. *dist.* 38. *art.* 8. *q.* 3. *Henricus c. penultimo nu.* 1. *de voto, Abulensis c.* 36. *Numer. qu.* 93. *Cajet. in opusc. tom.* 1. *tract. ultimo septemdecim responsionum, in responso* 7. *Angelus verbo Votum* 3. *numero* 18. *Armilla verbo Novitius, numero* 10.

86 In dubio autem, an quis promiserit solùm ingredi, aut etiam profiteri, dicunt aliqui teneri eum ad profitendum: eò quòd hoc sit tutius. Ita *Navarr. lib.* 3. *consil. tit. de voto, in* 1. *editione, consil.* 18, *n.* 2. *in* 2. *consil.* 26. *num.* 2. *Manuel.* 2. *tomo summa c.* 95. *num.* 6. Et idem dicent, quos retulimus *num.* 31. dicentes in alio dubio voti amplectendum semper, quod tutius est. Et quos retuli *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 16. dicentes in materia voti eligendum semper, quod tutius est. At *ibi* contrarium tenui: & ideò existimo hunc non teneri perseuerare. Quia in dubio obligat votum ad id, quod minus est, & non semper ad tutius. Ut *ibi* probavimus, *& hoc lib.* 4. *c.* 13. *num.* 17. Præterea, quia cum rarissimi sint perseuerantiam vouentes, & communiter solus ingressus promitti soleat: præsumitur in hoc dubio à communiter contingentibus ille solus promissus.

87 Id demum circa hanc difficultatem observandum est *Manuel.* 2. *tom. summa c.* 95. *num.* 17. ait promittentem solum religionis ingressum, & postea tempore novitiatus perseuerantiam, bis mortaliter peccare exeundo contra duplex votum: secùs si promitteret absolutè religionem, postea autem perseuerantiam. Ducitur quòd in priori casu sit duplex votum distinctum: in posteriori autem unicum. Nam posterius illud perseverantiæ votum includitur tacitè in religionis voto, Cæterùm hoc discrimen non video. Quia neutrum votum, sive ingressus, siue absolutum religionis, includit perseuerantiam: unde in utroque casu dicere debebat esse duplex peccatum, nam in neutro plus quàm unicum. Et ideò dicendum est in utroque casu unicam esse voti religionis violati culpam, & sufficienter explicari à confitente, si dicat se votum religionis transgressum esse. Ducor, quòd in eo perseuerantiæ voto inclusum omninò sit priùs ingrediendi, ac proinde non reputantur, ac vota distincta. Sicut si priori non fornicandi voto adstrictus promittit castitatem, semel peccabit fornicando, satque fatebitur dicendo se castitatis votum violasse. Quòd prius votum non fornicandi includatur in posteriori castitatis, tamquam pars in toto.

88 Posterior difficultas est. Ad quam perseuerantiam obliget votum religionis: nempe, an ejus obligatione liberetur, qui bona fide ad probandum ingressus est, & absque ulla justa causa recessit? Et quidem dupliciter potest votum hoc emitti. Priori modo, quando vouens intendit expressè se obligare ad religionis ingressum causa experiendi, cum libertate novitiis in jure concessa perseuerandi, vel egrediendi. Et tunc non tenetur ex vi voti perseverare, sed illi satisfacit ingrediendo bona fide causa experiendi, etsi postea absque causa justa egrediatur. Quia in hoc casu censetur tantùm velle se obligare per votum ad hunc ingressum bona fide, nolens novam perseverandi obligationem, sibi imponere, præter illam, quam ingredientes sine voto habent. Quod votum diximus *num.* 78. esse validum. Et hanc partem videntur tenere *D. Thom.* 2. 2. *quæst. ultima, art.* 4. *in corpore, Ricardus* 4. *d.* 37. *art.* 8. *q.* 3. *Henricus c. Statuimus, num.* 9. *de regular. & c. penultimo n.* 1. *de voto, D. Anton.* 3. *p. tit.* 16. *c.* 2. §. 4. *Abulen. c.* 39. *Num. q.* 93. *Sylv. verb. Religio* 2. *q.* 19. *Viguerius lib. instit. c.* 17. §. 1. *vers.* 23. Dico autem videri, teneri quia non expressè dicunt, sed satis id significant, dum constituunt discrimen inter hunc, & illum, qui absolutè vouet religionem, nil de egrediendi libertate considerando. Et dicunt priorem non teneri perseverare: posteriorem autem teneri secundùm formam juris ingredi ad experiendum. At nullum esset discrimen, si uterque justa egressus causa egeret. Nam uterque tenetur bona fide, ad experiendum ingredi.

89 Posteriori modo potest id votum emitti de ingressu religionis, nil prorsus de exeundi libertate determinando. Et in hoc casu est specialis difficultas, an hic voto satisfaciat ingrediendo bona fide ad religionem experiendam, & postea ex levitate quadam absque ulla justa displicentiæ religionis causa egrediendo. Duplex est sententia. Prior ait hunc satisfacere voto. Ducitur quia sicut juramentum factum in materia juris recipit omnes limitationes, & interpretationes, quas ipsum jus recipit *l. finali, C. de conditi. indeb. & l. finali, ff. qui satisdare cogantur.* Sic & votum: cum eadem quo ad hoc utriusque ratio sit. Ergo votum ingressus religionis intelligitur ad experiendum eo modo, qui in jure statutus est. At annus probationis jure conceditur, ut novitius religionem experiatur, cum omnimoda exeundi libertate, *cap. Ad Apostolicam, de regular. cap.* 1. *&* 2. *eodem tit. in* 6. Ergo cum eadem libertate id votum intelligitur. Hanc tenent *Gandavo quodlibeto* 3. *q.* 19. *& quodlib.* 13. *q.* 15. *Navarr. lib.* 3. *conf. tit. de voto, in prima editione, conf.* 19. *numero* 1. *in* 2. *conf.* 25. *num.* 1. *Palacios* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *post* 12. *conclus. fol.* 848. *column.* 2. *Azor. lib.* 11. *institut. moral. c.* 22. *quæst.* 6. *in fine, & versicul. Si quaras*, ubi addit posse esse peccatum aliunde, recedendo absque justa causa, nempe, levitatis, & temeritatis, desistendo ab incepto vitæ instituto, at contra votum non peccari. Et *versic. Quares insuper*, ait hunc minimè satisfacere, si absque ullis experimentis recederet. Eamdem sententiam videtur clarè tenere *Angelus verb. Votum* 3. *num.* 18. Eidem sententiæ favent *Jason l. Si quis hæredem, num.* 13. *C. de institut. Abulensis c.* 30. *Numer. quæst.* 95. *ad* 1. *& quæst.* 99. ubi dicunt id votum ad solum ingressum obligare, illique satisfieri exeundo postea, eidem favent *Paludan. d.* 38. *q.* 4. *art.* 1. *num.* 9. *Tabiena verb. Novitius, q.* 7. *num.* 8. *in fine, Ludovicus Lopez.* 1. *p. instructorii c.* 45. *in initio*, ubi dicunt hunc satisfacere ingrediendo ad experiendum.

90 Posterior sententia, quam veriorem credo, ait hunc non satisfacere voto, retrocedendo ex sola libertate novitiis jure concessa, sed exigi justam recedendi causam, & ideò si omnia in religione grata invenerit, teneri sub mortali perseverare, & si exeat, teneri iterum ingredi. Ducor, quod hic ex voto adstringatur ad religionis ingressum, quem spontè suscipiunt ingredientes absque voto. Sed hi ingrediuntur ad perseverandum, si omnia grata, & sibi convenientia invenerint, & aliter ingressus esset vanus, & inutilis, nec voti materia. Ergo ad hunc ingressum ad perseverandum adstringit votum, inventis omnibus gratis, nec justa recessus causa data, & sic non implebitur tunc recedendo. Et confirmatur explicando magis hanc rationem. Quia materia hujus voti est id, quod communiter intendunt religionem ingredientes. At hi intendunt perseverare inveniendo omnia grata. Ergo materia hujus voti est ingredi, & perseverare in eo casu. Ergo tunc non perseverando, minimè impletur. Tandem quia ratio contraria nil probat: tum quia eam libertatem jus concedit ingredientibus absque voto, & cum longè diversa sit ratio in adstrictis voto, non debet intelligi hoc obligare cum ea libertate. Tum etiam, quia eam libertatem concedunt jura pro solo foro externo, ne detur actio contra novitium egredientem. Nam in foro conscientiæ peccat venialiter egrediendo absque justa causa. *Ut num.* 92. videbimus. Et ideò hanc sustinent *Cajetan.* 2. 2. *quæst. ultima, art.* 4. *dubio* 3. *Armilla verb. Novitius, num.* 10. *Sotus lib.* 7. *de justit. quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 3. *vers. Ex hac autem definitione, Aragon.* 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 3. *circa solutionem ad* 2. *fol.* 996. *columna* 2. *Angles floribus* 2. *p. quæst. unica de voto, artic.* 2. *diffic.* 7. *Pasarellus in privilegiis Minimorum, c.* 43. *Toledo lib.* 4. *summa c.* 17. *num.* 12. *& c.* 18. *num.* 1. *Valentia* 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 4. *quæst.* 4. *versic. Unde rectè, Manuel.* 2. *tom. summè cap.* 9. *num.* 2. *Philiarcus de officio sacerdotis tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 20. *ad finem, Petrus de Ledesma* 2. *tom. summa tract.* 10. *cap.* 3. *dubio* 7. *casu* 4. Atque huic sententiæ favent *D. Thom. Ricardus, Henricus, D. Anton. Abulensis, Sylv. Viguer.* ut eos ponderavi *num.* 88. Ejusdem sententiæ videtur *Major. in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 2. *in fine*, ubi ait hunc posse licitè exire, si religionem suis viribus imparem inveniet. Et *Covarr. de pactis part.* §. 2. *ad finem*, ubi ait tunc vouentem posse retrocedere, cum viderit eum statum non esse sibi commodum, aut gratum. Quid autem, si votum sit Carthusiam ingrediendi, *si quam ingrediar*, an illam ingressus possit absque causa exire, dicemus *capite vigesimo tertio num.* 41.

91 Quod si dubium sit, utro horum modorum quis voverit, existimo eum hoc posteriori vouisse, & ita non posse pro libito exire. Quia etsi prior modus minùs gravis sit, & ideò videatur in dubio præsumendus juxta regulam traditam *c.* 13. *num.* 17. At aliunde urget, rarissimum esse priori modo vouere, & ideò ab usitatis est fortior præsumptio hunc posteriori modo vovisse.

92 Hinc deducitur discrimen inter ingredientem religionem cum voto, & absque illo. Quod ille mortaliter peccet exeundo absque legitima causa. *Ut nu.* 90. probavimus. Hinc autem peccat venialiter. Quod docent *Cajet. Philiarcus, Pasarellus* allegati, *num.* 90. Et hoc ultimum fatetur *Azor. lib.* 11. *instit. moral. c.* 22. *quæst.* 6. *versic. Si quaras*. Atque ratio hujus est, quòd sit quædam levitas, ac temeritas à statu tantæ perfectionis semel assumpto, ita leviter absque causa recedere. Et confirmatur, quia novitiatus communis est novitiis, & religioni. At hæc novitium expellens ex sola libertate in jure concessa, reprehenderetur à quovis sapiente, & levitatis notaretur. Ergo ejusdem ille notabitur ex sola ea libertate exiens.

93 Secundò deducitur, minùs benè *Manuel.* 2. *tom. summæ c.* 95. *num.* 2. asserere eum, qui vovit religionem in genere, & ingressus est bona fide unam, à qua ex justa causa recessit, ut quia ejus onera ferre nequibat, teneri ingredi aliam, cujus onera ferre valeat. Secùs si egressus sit ex justa causa impediente ingressum in quamvis aliam: tunc enim semel egressus manet in perpetuum liber. Probat à simili, quia si hic in unam religionem petitam admissus non sit, tenetur aliam petere, quando causa repulsæ non est generalis omnibus religionibus. Sed id est omninò negandum, & dicendum non ampliùs teneri voto illum, qui à religione suscepta destitit hac causa justa quacumque, etsi alterius religionis onera sustinere valet. Quia cum non perseverantiam, sed solum ingressum vouerit, plenè suo voto satisfecit ingressu unius bona fide, & postea ex justa causa egrediendo. Nec est simile de petente admitti, & nondum admisso. Quia hic non censetur implesse votum, quamdiù est spes fore, ut in aliam religionem admittatur: utpote quòd de ingressu in aliquam fuit. Et ita alii doctores relati *num.* 90. benè dixere hunc liberum ab eo voto manere, deserta religione ex justa causa.

94 Imò si votum religionis determinatæ commutatum sit legitimè, sive absolutè, sive admissa aliqua dispensatione, in alterius religionis ingressum, & illam bona fide susceptam deserat vouens ex aliqua justa causa, non tenetur ad priùs promissam, sed omninò manet à voto liber. Ratio est, quia per commutationem extinguitur omninò prioris voti obligatio, & illius loco succedit res, in quam commutatur, ac si de ea sola votum esset emissum. Ut tractantes de votorum commutatione dicemus. At jam satisfactum est voto religionis illius, in quam facta est commutatio, ingrediendo illam bona fide, & exeundo ex justa causa. Et idem dicendum omninò est, si ille sufficienti diligentia religionem hanc, in quam votum commutatur, petat, & in perpetuum repellatur. Quia similiter voto satisfecit. Hoc autem duplici limitatione intelligendum est. Prior est, nisi ea lege commutatum sit votum strictioris religionis in laxiorem, ut è laxiori vouens exiens teneatur ad strictiorem priùs promissam. Cujusmodi est dispensatio, ad quam concesit privilegium Eugenius Quartus, & habetur in *compendio privilegiorum Dominicanorum fol.* 252. *& in compendio privilegiorum Societatis Jesu, verbo Commutatio* §. 2. ubi *num.* 2. habetur alia facultas commutandi voti determinatæ religionis in vota Societatis Jesu, absque prædicta limitatione. Posterior limitatio est, quam trademus *n.* 97. Atque eadem ratione, si quis castitatem perpetuam promissam, aut peregrinationem Hierosolymitanam commutaret bona fide in religionis ingressum; si postea in illam non admitteretur in perpetuum, aut ingressus exiit ex justa causa, liberatur omnino horum votorum obligatione, & potest ad nuptias transire. Quod probat ratio proximè tradita. Et similiter intelligendum est cum limitatione *n.* 97. tradenda, Et idem prorsus dicendum est, si ingressus expellatur, casu, quo dicemus *n.* 107. *&* 108. expulsum satisfacere voto.

95 Eadem ratione si vouens laxiorem religionem ingredi, commutaret propria auctoritate in strictiorem, & hanc ingressus exiret ex justa causa, ut quia suis viribus asperitates illius impares inuenerit, vel ex alia ratione justa, aut sufficienti apposita diligentia non admissus est, manet omnino liber à voto, nec tenetur ingredi religionem priùs promissam, etsi in illam admitteretur, aut esset suis viribus æqualis. Quod probat ratio tradita *n. prac.* Et est similiter intelligendum cum limitatione tradenda *n.* 97. & similiter est intelligendum de expulsione, de qua diximus *n. prac. in fine.*

96 Secùs autem esset, si non animo commutandi ingressus esset strictiorem, sed aut prioris voti immemor, aut si memor, oblitus est commutare, vel id ignorabat, aut noluit commutare, ne ad eam strictiorem obligaretur. Tunc enim ex quantumvis justa causa egressus ex strictiori, aut in illam non receptus, teneretur ad prius votum. Quia prius votum non erat extinctum, sed suspensum, ut incompatibile cum strictioris ingressu, quem tamquam majus bonum impedire nequit. Ergo eo impedimento oblato obligabit. Et si justa illa egressus causa ex strictiori militet in laxiori, ut si fuit grauis parentum necessitas, aut gravis morbus, excusabitur illa durante à laxioris ingressu: at cessante tenebitur.

97 Sunt tamen limitanda dicta *n.* 94. *&* 95. ut priorum illorum votorum obligatio omninò cesset, si vouens non admittatur in religionem, in quam ea legitimè sunt commutata, aut si ex justa causa exeat, vel expellatur: quando is capax erat illius religionis, secundùm ejus statuta, in quam commutata fuerunt. Quippe si capax non erat, ut si promisit religionem, vel quid aliud, & bona fide commutavit, vel à superiore commutatum est in aliam religionem in quum Neophiti non admittuntur, & ipse talis erat, vel habebat aliquod aliud impedimentum, ob quod capax non erat religionis loco priorum votorum subrogate, commutatio non valuit: & sic priora vota non extincta sunt. Ratio est, quia obligatio priorum votorum non potuit cadere in eam religionem tamquam illi impossibilem. At in commutatione transit obligatio prioris voti in materiam loco alterius promissæ subrogatam. Quare si hic non admittatur, vel admittus expellatur, vel ipse ex quacumq; causa exeat, tenetur ad priora vota, utpote quæ non legitimè commutata erant. Secùs esset, si post legitimam commutationem id statutum ederetur, vel re capax erat, & ob falsos testes malè de ipso deponentes, non admissus est, vel postea expulsus. Quia cum legitima fuerit commutatio, & in religionem, cujus re vera erat capax, priora vota extincta sunt, nec effectus fortuitus superveniens incapacitatis ob statutum postea editum, aut falsam testium depositionem efficere potuit, ut illa reuiuiscerent. Quæ etiam ampliùs constabunt ex dicendis *numero* 107.

98 Quòd si post votum strictioris religionis, aut memor, aut immemor illius, emittat quis votum laxioris, aut serviendi in perpetuum xenodochio, & ingressus strictiorem exeat ex justa causa, vel ab illa petita perpetuam repulsam patiatur: existimabit quispiam hunc ad posteriora hæc vota non teneri. Quia videntur irrita, utpote quæ cum priori rei melioris voto incompossibilia. Sed dicendum est teneri, etsi prius votum fuerit perseverentiæ in strictori, & illud implere nequeat, quia aut in perpetuum non

non admittitur, aut repellitur. Ratio est, quia cum posteriora vota sint rei bonæ, valida fuerunt, quatenus non obligent, nisi in casu, in quo eorum observatio non repugnet reum strictioris religionis ingressu. Eò vel maximè, quòd incompossibilitas non sit perpetua, sed cessare possit prioris voti dispensatione obtenta, aut impotentia illius implendi, quia vel vouens non admittitur, vel est expulsus: vel si fuit votum solius ingressus, eò quòd ex justa causa exierit. Item quia incompossibilitas duorum votorum non efficit, ut posterius minoris boni sit irritum, sed ut non obliget, quamdiu melioris executionem impedit. Quia alias id votum strictioris religionis, si posteriùs emitteretur, efficeret, ut priora illa manerent statim irrita. Nam quod à principio impediret valorem voti, si superveniat, ejus valorem tollit. Hæc autem intelliguntur, quando bona fide emissset hic posteriora vota, eò quòd aut prioris erat immemor, aut bona fide credidit se quoque posse hæc emittere. Nam si mala fide emissset videns melioris voti materiam impediri, eamque impedire volens, essent irrita: utpote quæ erant rei Deo ingratæ.

99 Sed superest explicandum, quæ sint justæ egressus causæ, ut vouens religionem, egredienque censeatur voto satisfecisse. Et quidem existimo non requiri valde urgentem causam, sed mediocrem, & talem, qualis sufficeret, ne levitatis argueretur egrediens è religione absque voto. Ducor, quòd vouens eam solam perseverantiam promittat, quam intendit ingrediens absque voto. Ut *n.* 90. probavimus. Hæc autem est, quando ita gratam invenit religionem, ut absque levitatis peccato nequeat illam deserere. Ergo ea egressus causa sufficiens erit, quæ à levitate excusat. Et ita *Valent.* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *puncto* 4. *q.* 4. *versic. Unde rectè*, explicuit hunc non satisfacere quando ex levissima causa egressus est. Et *Pet. de Ledes.* 2. *t. summ. tract.* 10. *c.* 3. *dub.* 7. *casu* 4. ait tunc non manere hunc liberum, quando ex levitate, & modica costantia egressus est.

100 Sed descendendo ad causas particulares, quidam dicunt esse legitimam causam, solam religionis displicentiam & invenire eam non gratam, & commodam sibi. Quia religionis experientia eò tendit, ut novitius experiatur, num ea grata sibi sit. Ita docent *Cajet.* 2. 2. *quæst. ultima*, *art.* 4. *dub.* 3. *Armilla verbo Novitius*, *num.* 10. *Covarr. de pactis* 1. *parte* §. 3. *ad finem*, *Navarr. in summa c.* 12. *num.* 47. *in fine*, *Pasarellus in compendio privilegiorum Minimorum*, *capite quadragesimotertio*. Sed hi Doctores sano modo intelligendi sunt; nam aliàs nil prorsus interesset inter ingredientem absque voto, & cum illo, ad concedendam exeundi libertatem. Quia qui non vouit, numquam egredietur, nisi religio displiceat. Et ideò intelligendi sunt non displicentia omnino libera, quam pro libito potest homo rejicere: sed de displicentia non omnino libera, sed cum passione, anxietate, & tristitia animi, sive ea oriatur ex naturali aliqua causa, sive ex dæmonis tentatione, dummodo tempore notabili duret, ut integro mense, & conans ille expellere, nequeat. Atque tanta posset repente anxietas animi novitio supervenire, statim suscepto habitu, ut rationabiliter crederet fore, ut non posset religionem tolerare, & sic justam exeundi causam haberet. An autem sit justa causa, si à parentibus, vel tutoribus revocetur impubes: diximus *c.* 18. *num.* 21.

101 Hinc deducitur, justam esse egressus causam: si vouens experiatur religionem probatam afferre sibi minorem fortitudinem, minuìque animi robur ad perseuerandum: & propterea timet, ne ineunte tempore tepidus inveniatur, & ab ea deficiat, vel minùs benè saluti suæ spirituali consulatur. Et ita docent *Cajet. Pasarellus n. præc.* relati, *Manuel. t. summa*, *c.* 95. *n.* 2.

102 Secundò deducitur, quid dicendum sit, si casu fortuitu egrediatur. Ut quia quispiam ex religiosis ipsum ad tactus impudicos, aut ad alia venerea induxit: aut quia ob aliquam reprehensionem, aut pœnitentiam sibi injunctam trilatus est: aut quia delictum commisit, & timet pœnitentiam: aut quia cum aliquo religioso rixatus est: aut quia cum morbo teneretur, non tanta ejus cura habita est, ut ad pristinam salutem restitueretur. Quippe in his omnibus casibus, est prudentis arbitrio liberandum, an levitas fuerit ob id egredi: & tunc non satisfaciet. Ut si casu quispiam ad malum induxit, vel cum eo rixatus est, cum tamen reliqui religiosi ad id non inducant, sintque bonæ vitæ, nec sit cum aliis rixandi occasio, leuitas erit ob id egredi. Et similiter quando nec reprehensio, nec pœnitentia limites rationis excessere, aut si excesserunt, fuit casu: aut si pœnitentia, quæ timetur, non est gravissima: aut si casu suo morbo non ita prospectum fuit, esset levitas ob id egredi, & sic non satisfiet voto. At non esset levitas, quando experiretur religiosos non cautè viuere communiter, & ita saluti suæ animæ existimaret non expedire eam religionem. Vel si experiatur pœnitentias gravissimas in ea injungi, & ita timeat fore, ut illas sibi impositas ferre nequeat. Vel pœnitentia, quam timebat, erat gravissima, etsi suum delictum ea esset dignum. Vel experiretur tempore morbi communiter malè prospici infirmis, & timeret fore, ut id ferre nequiret. Quare in his casibus justam egressus causam haberet, ut sic censeatur votum implesse.

103 Tertiò deducitur, quando morbus præbeat justam egrediendi causam, ut satisfactum voto censeatur. *Angles floribus secunda parte, quæstione unica de voto, articulo secundo, difficultate septima, & Manuel. secundo tomo summæ capite* 95. *numero secundo* dicunt esse justam causam morbum perpetuum, quasi contrarium sentiant de temporali. Sed *Navar. libro tertio consil. tit. de voto, in prima editione, consil.* 29. *numero unico, in secundo consil.* 24. *numero unico*, absolutè dixit morbum esse justam causam. Sed dicendum est non quemcumque morbum esse justam causam; cum etiam in sæculo in morbos incidatur. Nec oportet morbum esse perpetuum. Sed sufficeret, quando morbus esset talis, & tam frequens, ut novitius prudenter judicaret fore, ut nequiret in posterum oneta religionis ferre, vel valde suæ saluti ea nocerent. Vel prudenter timeret eo morbo se futurum onerosum religioni.

104 Quarto deducitur, esse justam egressus causam, necessitatem parentum, aut sororum, quæ esset alicujus momenti, cui ille in sæculo poterit subvenire. Quia nemo prudens notabit levitatis hunc egressum. Cum justissimum sit filium parentibus subvenire, & fratrem sororibus. Quippe fœminæ difficilè sibi consulere possunt, & nimia egestate oppressæ sunt in gravi spiritualis salutis jactura, & usus sui corporis conducendi, ut victui necessaria comparent. At fratrum necessitatem non tanti ducerem. Quod viri faciliùs sibi consulant. Sed posset tanta esse, & illi tam destituti alio remedio, ut justa quoque esset causa. Quando autem omnibus penitis est dubium, an causa egressus justa sit: non satisfiet voto egrediendo absque dispensatione. Quia id in cæteris præceptis contingit, non enim causa dubia excusat à culpa eorum transgressionem. Cum obligatio sit certa, & causa excusans dubia. Si ergo cum obligatio voti religionis ad perseverandum sit, nisi ex causa justa egressus contingat: quoties dubia fuerit causæ honestas, obligabit votum ad perseverandum. Quare egrediendo non satisfiet.

105 Quintò deducitur, minùs benè *Manuelem* 1. *tomo summæ c.* 95. *num.* 5. dixisse expulsum à religione promissa, & semel suscepta ob morbum, & quamvis aliam causam temporales, teneri iis cessantibus, virtuti voti iterum ingredi. Sicuti qui in religionem promissam ob impedimentum temporaneum non admittitur, tenetur eo cessante ingredi. Et eadem ratione idem sentiret de egresso ex causa justa temporali, diceret enim teneri hunc ea cessante iterum ingredi. At longè diversa utriusque est ratio. Quia numquam admissus non implevit votum. At semel ingressum, & ex causa justa exeuntem, dictum Doctores *n.* 90. allegati implesse suum votum. Non ergo tenetur cessante ea causa ingredi. Et confirmatur, quia prædicti Doctores sunt, qui rigorosùs in hoc loquuntur, utpotè qui justam egressus causam petunt, contra alios *n.* 89. relatos nullam petentes. Et tamen obligationem voti in eo solo constituunt, ut vovens teneatur bona fide religionem ingredi, & in ea perseverare, nisi expellatur, aut ex causa justa exeat. Hoc autem totum hic præstitit. Non ergo tenetur ampliùs religionem ingredi. Tandem quia promittens officium Virginis non tenetur, nisi semel id recitare, dummodo utiliter recitet. Sic ergo vouens religionem tenetur tantùm semel ingredi, dummodo utiliter ingressus sit, nempe, ad probandum bona fide, & ex justa causa exeat. Atque ideò dico egrendientem ex justa causa temporali, vel expulsum à religione semel suscepta ob morbum, vel impedimentum temporale, non teneri iis cessantibus ad religionem redire, utpote qui jam plenè suo voto satisfecit.

106 Hoc tamen est tripliciter limitandum. Primò, nisi votum sit perseverandi in religione. Tunc enim egressus, aut expulsus ex quantumvis justa causa, aut impedimento temporali, tenetur iis cessantibus ad religionem redire. Quòd si sit impedimentum perpetuum non ad omnem religionem, sed ad illam, vel aliquam aliam determinatam, nec illæ determinatæ promissæ sint, sed religio in genere, tenetur aliam quærere, si spes est fore ut ad illam admittatur. Quia hic solo ingressu bona fide non satisfecit voto perseverantiæ, cum nondum perseuerarit.

107 Secundò limitandum est, nisi expellatur defectu alicujus conditionis requisitæ juxta ejus religionis constitutiones. Ut si vovens religionem, ingressusque Carthusiam, expellatur tempore novitiatus eò quòd carebat ætate necessaria juxta illius religionis statuta, tenetur aliam religionem ingredi, vel illam adepta ætate legitima. Quia vovens religionem tenetur ad illam, cujus est capax. Ita docet *Navarr. l.* 3. *consil. tit. de voto*, *in* 1. *edit. toto cons.* 11. *in* 2. *toto cons.* 23. ubi latissimè de hoc disputat, & tandem hoc concludit. Et clarè loquitur, etsi bona fide ignarus impedimenti ingressus sit. Idem enim ejus ratio probat: & si fraus, mala fidesq; fuisset, non adeò latissimè rem utrimque disputaret. Cum luce meridiana clarius sit, illum non satisfacere. Item quia bona fides excusat à peccato, sed non efficit, ut toto satisfiat, non suscepta religione apta voto implendo. At secùs judicarem, quando re vera est capax, & ob falsas depositiones testium expulsus est: vel ante professionem editum est id statutum reddens ipsum illius religionis incapacem: in neutro enim casu tenetur illam, vel aliam religionem postea ingredi. Ducor, quod cum hic perseverare non voverit, solùm tenebatur ingredi bona fide religionem, cujus erat capax. Quod totum præstitit: cum ergo totum, ad quod tenebatur, præstiterit, & absque propria culpa expulsus sit, liber à voto manebit.

108 Ulti-

108 Ultimò limitandum est, nisi culpa sua è religione pellatur: tunc enim nondum voto satisfecisse censetur, sed tenetur se corrigere, ut iterum admittatur. Et ita docet *Toledo libro quarto summæ capite decimo septimo*, *numero duodecimo*, *& capite decimo octavo numero secundo*. Et idem à fortiori tenent *Sotus*, *Aragon. Vega*, *Graffis*, quos retuli *libro octavo de matrimonio*, *disputatione nonæ*, *numero vigesimo primo*, in quantum dicunt professum in perpetuum expulsum tamquam incorrigibilem, si ante ingressum erat adstrictus voto religionis in genere, teneri aliam religionem ingredi, ut prius votum expleat. Censent ergo ejectum sua culpa nondum voto satisfecisse. Imò hoc tamquam apertum supponunt: & solùm in hac sua opinione vacillant aliquantulum, eò quòd omnia vota simplicia professionem præcedentia extinguantur illa emissa. Et ratio hujus sententiæ est, quia ille, cujus culpa conditio non impletur, tenetur perinde, ac si conditio impleta esset. At in voto religionis intelligitur conditio, *si hic in religione retineatur*. Ergo sua culpa non retentus, manet perinde obligatus, ac si ingressus non fuisset, & ac si dimissus non esset. At contrarium sustinet *Azor. libro undecimo institutionum moralium*, *capite vigesimosecundo*, *quæstione nona in fine*, dicens sua culpa expulsum satisfecisse voto ingressus religionis. Ducitur, quòd id votum ad solum ingressum bona fide obliget: at hoc præstitum est. Sed utramque sententiam sic conciliandam existimo. Si hic mediocrem diligentiam adhibuit, ad culpas suas corrigendas, & ad se religionis instituto accommodandum, & ex infirmitate, pravisque habitibus, aut ex prava indole, qua præditus erat, non se ad religionis instituta accommodavit, aut in eas culpas lapsus est: verior est posterior sententia, ut hic religionis satisfecerit voto. Quòd bona fide expertus sit, & reperitur religioni ineptus, & curavit quantum in se est, conditionem impleri. Præterea quia nemo negaret hunc voto satisfecisse, si experiens se non posse cum mediocri diligentia suis effrænatis passionibus resistere, vitiaque corrigere, propria sponte exiret. Cum hic dicatur non posse religionis onera ferre, & ad illius normam se accommodare. Ergo à fortiori satisfaciet, si expellatur. Si verò eam diligentiam non apposuerit, sed ex negligentia sua id contingat, est verior prior sententia. Quam ejus ratio probat.

109 Tandem deducitur quid in hoc casu censendum sit. An liber manserit à religionis voto, qui in eam eo solo fine admissus est, ut voto religionis liberaretur: & nondum habitu suscepto, vel eo suscepto dimissus est. Et quidem quando eo nondum suscepto dimissus est, videtur clarè non satisfactum voto, etsi ille fraudis particeps non fuerit, sed prorsus ignarus. Quia ille nil religionis expertus est, & id est, quod vouit, nec verè admissus est, sed fictè. Si verò habitum suscepit, & ita fuit re vera novitius, nec culpa sua ejectus, & fraudis ignarus, videtur satisfecisse. Quia bona fide est ingressus, atque citra suam culpam expulsus. At verius est, eum non satisfecisse. Quod non verè, sed fictè admissus sit; & ita non fuerit verè novitius.

SUMMARIUM.

An voto religionis adstrictus, nec admissus, aut expulsus, teneatur in sæculo ad aliquid? Referuntur sententiæ, n. 110.

Explicatur sententia Auctoris, n. 111.

Quid, si se obligasset, si cogitasset, vel est dubius de hoc? numero 112.

Quid, si vouerat castitatem, & religionem, nec admittitur in religionem? n. 113. *Et ibi, an teneatur ex tunc ad castitatem: an à tempore ingressus?*

Quid, si dubius sit, an voverit castitatem dependenter a religione? n. 114.

Quid, si quis habuit animum prostendi in manibus alicujus, vel intra seipsum? n. 115.

Quid, si habuit animum promittendi in sæculo paupertatem, castitatem, & obedientiam, vel servanda alicujus regula? numero 116.

Post n. 116. *invenies alia summaria, quæ desiderantur.*

110 QUæstio quinta. An voto religionis adstrictus, & sufficienti præmissa diligentia in nullam admissus, vel ab ea expulsus in perpetuum, teneatur ad aliquid in sæculo faciendum? *Palud.* 4. *distinct.* 38. *quæst.* 4. *art.* 1. *num.* 9. ait vouentem religionem animo perseverandi, & non potentem religionis onera sustinere, ob idque recedentem, teneri in sæculo viuere non sæculariter. Alii autem dicunt, eum, qui religionis voto emisso non admittitur, sed in perpetuum repulsam patitur, teneri sub Episcopi obedientia manere in sæculo, & ejus monachum esse. Ita docent *Hostiensis c. Porrectum*, *n.* 14. *de regular. Anchar. c. Qui post votum*, *in initio*, *notab.* 1. *eodem tit. in* 6. *& ibi Fraucus n.* 1. & tribuitur Innocentio *eo c. Porrectum*, *n.* 6. sed Innoc. non loquitur de vouente ingressum religionis: sed de eo, qui religionem professus est, aut intra se, aut in manibus non potentis acceptare, ait enim etsi hæc non sit solemnis professio, teneri hunc ingredi religionem, & à nulla admissum teneri esse sub dicta Episcopi obedientia, & ejus monachum esse.

111 Prima tamen conclusio sit. Vouens ingressum religionis, & in perpetuum non admissus, liber est omnino à voto, & nil tenetur in sæculo præstare, sed potest ad matrimonium transire. Ratio est, quia hic sufficienter suum votum implevit, cum debitam deligentiam apposuerit, ut admittatur, votumque eam tacitam conditionem habeat, *si vovens admissus fuerit*. Præterea, quia etsi in religione promittenda sint castitas, obedientia, & paupertas: at hæc sunt statui illi adnexa, & ideò ante status assumptionem non obligant. Ut *num.* 117. dicemus. Et ita tenent *Rosella verbo Religio* 3. *num.* 4. *Angelus verbo Votum* 3. *num. undecimo*, *Sylvester verbo Religio* 2. *qu.* 17. *Cajet.* 2. 2. *quæst. ultima*, *ar.* 3. *circa solutionem ad* 2. *Armilla verbo Votum num.* 18. *Navar. summa cap.* 12. *num.* 47. *&* 48. *Angles floribus* 2. *par. qu. unica de voto*, *art.* 2. *difficult.* 5. *Azor. lib.* 11. *institut. moral. c.* 22. *quæst.* 3. Quod etiam verum est, licèt fuerit perseverandi votum. Ut benè docet *Navarr. eo num.* 47. & dicemus etiam *num.* 117. Et idem dicendum est de expulso in perpetuum à religione tempore novitiatus casu, quo ea expulsione facta impletum est votum. Quod quando contingat, diximus *à numero* 105. *usque ad* 108. Imò etsi non impletum sit, quia vel fuit perseverantiæ, vel ob proprias culpas ejectus est, quibus corrigendis nullam diligentiam apposuit; si correctus non admittatur in religionem peculiariter promissam, aut repulsa fuit in perpetuum: aut si fuit votum perseverandi in religione indeterminata, & desperatur prorsus admissio in aliam, potest hic licitè ad nuptias transire. Quia jam implere votum est sibi impossibile, & cum nullum religiosi officium specialiter vouerit, sed votum fuit assumendi status religiosi, in quo ea religiosi officia obligatura erant, & non antea, fit, ut eo reddito impossibili mancat omnino liber. Sicut enim quando impossibilitas implendi voti potest esse temporalis, ut ratione matrimonii, manet omnino liber ab aliqua obligatione, durante ea impossibilitate ratione conjugii, ut dicemus *n.* 117. ita quando impossibilitas est omnino perpetua, manet in perpetuum liber.

112 Limitat hoc *Sylv. n. præc.* alleg. nisi existimet probabiliter fore, ut si tempore voti meminisset, se obligasset ad viuendum in sæculo sub Episcopi obedientia: & si nescit discernere, quid tunc fecisset, dicit teneri ad id, quod tutius est: nempe, ad sic viuendum. Verùm fallacem esse hanc regulam probavimus *c.* 13. *n.* 12. Et ideò hæc limitatio non admittenda est: nec ad id ille obligandus, etiamsi certus sit fore, ut memor ejus obligationis eam sibi imponeret, nedum quando dubius.

113 Secunda conclusio. Si ille castitatem, & religionem vouerat, sic distinguendum est. Si principaliter utrumque vouerit, teneretur ad castitatem in sæculo servandam, etsi à voto religionis liber fit, eò quòd non admittatur, vel quacumque alia ex causa. Si verò principaliter vouit solam religionem, & veluti accessoriè castitatem, quam faciliùs in ea servare posset, liberatus voto religionis, liberatur quoque voto castitatis. Quia in priori casu castitas est independenter à religione promissa, in posteriori autem dependenter. Et ita docent *Navarr. lib.* 3. *consil. tit. de voto*, *in* 1. *edit. consil.* 4. *n.* 1. *in* 2. *consil.* 13. *n.* 1. *Emmanuel Sà in summa*, *verb. Votum*, *in principio*, *n.* 29. An verò quando hoc posteriori modo emittit votum, obliget castitas ante religionis ingressum, dependenter tamen ab ipso, ita ut postea maneat liber, si voto religionis liberetur, non videtur ita clarum. Quia cum hoc modo salvetur mutua votorum horum dependentia, ita videtur intelligenda, dum de vouentis intentione non constat. At verius credo non obligare ante religionis ingressum, benè tamen ab ipso ingressu, etiam novitiatus tempore. Quia cum dependenter ab ipsa religione emissum sit, quia faciliùs ipsa servari potest, solùm videtur obligare, quamdiu in religione vivitur, & ab ipso ingressus tempore. Quare hic absque justa causa exiens peccabit in votum religionis, & tenebitur iterum ingredi: at si in sæculo tunc fornicetur, non erit reus violati castitatis voti: ut pote quod solùm obligat, dum in religione viuitur. At vero quando castitas principaliter quoque vouetur, obligat ex tunc, & religione ex quavis causa deserta. Utpote quæ independenter à religione promissa est.

114 In dubio autem utro horum modorum castitas promissa sit, existimaret aliquis censeri promissam hoc posteriori modo, nempe, dependenter à religione. Juxta regulam traditam *c.* 13. *n.* 17. nempe in dubio votum obligare ad id, quod minus est. At *Navarr. eodem consil. cit. n. preced. in n.* 2. dicit in hoc dubio teneri hunc eligere tutiorem partem, & reputare se obligatum. At sic distinguendum censerem. Si hic recordetur verborum, sive interiùs, sive exteriùs prolatorum: judicandum est in dubio, juxta communem illorum intellectum. Quare si in eis expressa sint castitas, & religio absolutè, censebitur castitas promissa principaliter, & per se, ac independenter à religione. Quia cum in dubio intentionis sint vota dijudicanda juxta communem verborum sensum, hæc pars possidebit in hoc dubio. Si verò sola religio expressa sit, & dubitat vouens, an se quoque voluerit ad castitatem obligare, tunc tenetur ad id, quod minus est, & censendus non obligatus ullo modo ad castitatem. Quia nulla est possessio pro illa, sed tota per voluntatis libertatem. Si verò quamvis sola religio expressa sit, meminit suæ intentionis fuisse se obligare quoque ad castitatem: dubitat tamen, an dependenter à religione, an independenter: existimo judicandam obligationem dependenter à religione, Ducor, quia ut sæpè repetii, non tenetur vo-

vovens sequi semper, quod tutius est: & in hoc dubio non video possessionem pro voto castitatis independenter à religione: imo potius cum hac dependentia. Cum sola religio expressa sit; & quandò quispiam intendit se ad utrumque velle principaliter obligare, solet utrumque exprimere. Si verò conscius hujus intentionis, non meminit prorsus verborum, aut ea dubia essent, teneretur ad castitatem independenter à religione. Quia cum intentio sit certa, est quoque certa obligatio ad castitatem. At limitatio, ut sit dependenter, est dubia, & nulla est verborum possessio pro illa. Et ideò possidet obbligatio absque limitatione.

115 Quod si quis professionem solemnem intra se, aut in manibus non potentis acceptare emitteret: qui est casus tactus ab Innocentio, ut ex ipso retulimus *numer.* 110. an obligatio aliqua inde consurgat, dicemus infra, tractantes de requisitis ad professionis valorem.

116 Tandem dubitatur, quid dicendum de eo, qui in sæculo vouit cuidam Priori paupertatem, castitatem, & obedientiam, ut ejus religionis privilegiis frueretur? *Nav. l.* 3. *consil. tit. de voto, in utraq; edit. toto consil.* 9. ait hunc non teneri ingredi religionem. Quia id non promisit. Et hoc verum credo. Secundò ait teneri ad paupertatem, & castitatem in sæculo servandam, non autem ad obedientiam. Quia id obedientiæ votum non fuit acceptatum saltem legitimè à prædicto Priori, nec ab ejus conventu. Et ipse non habuit animum obligandi se Episcopo. At credo quoque teneri ad obedientiam promissam. Quia sola religionis professio indiget acceptione, utpote quæ est mutuus contractus. At obedientia in sæculo servanda absque ulla ipsius religionis obligatione, non indiget acceptione, ut vouentem obliget. Quia id votum, sicut, & alia duo paupertatis, & castitatis, emissum est Deo, & in Dei honorem, & non illius Prælati, aut religionis gratia, aut quasi cum ipsis contrahendo. Similiter vouens servare in domo sua regulam alicujus religionis tenebitur eam servare: & obedire prælato illius, ut regula præscribi. Non tamen tenebitur esse sub Episcopi obedientia: eò quòd id non promiserit.

SUMMARIUM.

Qui post religionis votum init matrimonium, ad quid tenetur? n. 117.

An post votum religionis liceat in aliquo casu matrimonium? n. 118. *Et remissivè, an peccet iniens cum habente hoc votum? Et quid respondendum roganti an valeat?*

An quid obliget religionis votum emissum post matrimonium ex licentia alterius conjugis, aut sine illa, aut ab utroque seorsum emissum, aut communi consensu? Remissivè. n. 119.

117 QUæstio ultima. Ad quid teneatur qui post religionis votum iniit matrimonium? Aliqui ajunt teneri hunc ad castitatem servandam, & ideò non posse petere debitum. Hos retuli *lib.* 9. *de matrimon. disp.* 33. *nu.* 13. *& ibi a n.* 4. *usque ad* 17. probaui hunc peccare mortaliter ineundo matrimonium, cum animo consummandi: & deinde prima vice consummando, sive petendo, sive reddendo: at post consummationem posse petere, & teneri reddere, etsi perseverantiam in religione voverit: nec peccare contra prædictum religionis votum fornicando. Quia id votum nullo modo obligat ad castitatem. Insuper probavi *ibi* teneri defuncto altero conjuge ad religionem transire: & similiter teneri ad idem, quotiescumq; non obstante matrimonii lege potest fieri religiosus. Ut quando cum ipse sit innocens, est iusta perpetui divortii causa ob alterius conjugis delictum: vel quando ipse est adulter, & ob ejus delictum alter divertit in casu, quo sibi licet tunc ad religionem transire. De quo casu latè diximus *lib.* 10. *de matrimon. tota disp.* 10. Quare in omnibus casibus, in quibus potest altero conjuge inuito ad religionem transire, peccabit mortaliter petendo, aut reddendo, aut remittendo adulterium alteri conjugi quo ad diuortium: aut si adulterium cum alia persona committat, aduertens per hæc censeri divortium remissum, & auferri sibi potestatem trascundi ad religionem. Ut probavi *lib.* 9. *de matrimon. disput.* 6. *n.* 14. *in fine.*

118 An verò post religionis votum liceat in aliquo casu ad nuptias transire, diximus *hoc l.* 4. *c.* 8. *à n.* 9. *usque ad* 12. Et ea pecent contrahentes, cum habent hoc votum: & quid responderi possit roganti, an valeat matrimonium: dicemus infra agentes de voto castitatis.

119 Tandem si post matrimonium emittatur ab altero conjuge votum religionis absque alterius conjugis licentia, ad quid obliget, diximus satis *lib.* 9. *de matrim. disput.* 35. *à n.* 9. *usque ad* 13. & an licitè emittatur, diximus *ibi n.* 42. Et quid, si de alterius licentia, diximus *eodem lib.* 9. *disput.* 36. *n.* 1. Et ad quid obliget emissum ab utroque seorsum, aut de comuni consensu diximus *ibi*, *disput.* 37. *num.* 1. & 5.

CAPUT XVII.

Qualiter qui post simplex religionis votum est creatus episcopus, teneatur episcopatu relicto ad religionem?

SUMMARIUM.

Explicatur c. Per tuas, de regular. *an de solemni religionis voto intelligatur, & continent solum consilium? n.* 1.

Referuntur, & improbantur opiniones, n. 2. 3. 4.

Explicatur sententia Auctoris, n. 5.

An post religionis votum acceptans episcopatum, egeat licentia Pontificis, ut ad religionem transeat? n. 6.

An teneatur votum Pontifici manifestare? n. 7.

1 NOn tractatur in præsenti de voto religionis emisso post episcopatum. De hoc enim, & de votis emissis ab habentibus beneficia, dicendum est infra, ubi de votorum irritatione. Sed sermo est de voto religionis ante episcopatum emisso. Rationem dubitandi præbet *c. Per tuas, de regul.* ubi agitur de ligato prius voto religionis, & deinde promittente se intra certum tempus executurum votum, nec executus est, sed fuit creatus episcopus. Cui Pontifex de hac re consultus sic respondet. *Consulimus, ut si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes ecclesiæ, & reddas Altissimo voto tuo. Quòd si postmodum capitulum ecclesiæ te duxerit eligendum, electionem de re factam recipere poteris.* Et quamvis id votum appelletur *ibi* solemne: at re vera erat simplex. Dicitur autem solmne, eò quod in præsentia Abbatis, & multorum erat emissum. Et constat, quia est votum de futura habitus suceptione, quod esse solemne nequit. Et ita docent *Innoc. ibi num. unico, verb. Solemniter, Hostiensis in initio, Joannes Andreas num.* 1. *Anton. num.* 1. *Abbas num.* 1. *Cardin. nu.* 1. *opposit.* 1. & omes. Rursus quamvis videatur consilium: cum Pontifex utatur verbo, *consulimus*, at re vera est præceptum. Constat ex iis verbis, *Si tuam desideras sanare conscientiam.* At observare consilium non pertinet ad sanitatem conscientiæ tuendam. Quare dixit Pontifex, *consulimus*, non quia non sit præceptum: sed quia non procedebat, in forma judicii: si enim sic procederet, cogeret. Et ita docent *Innoc. ibi n. unico, verb. Consulimus, Host. nu.* 1. *eodem verb. Joannes Andreas num.* 4. *Anchar. nu.* 3. *notabili* 4. *Card. in initio, notabili* 1. Quare minùs benè *Enriquez lib.* 10. *de sacram. ordinis c.* 32. *numer. ultimo, in commento, litera I.* ait Pontificem loqui de consilio.

2 Variæ igitur sunt sententiæ circa hujus textus intellectum. *Abbas ibi num.* 6. dicit enim procedere, eò quod vouens ille ex ambitione consenserat electioni suæ in episcopum: si enim zelo bono ductus consensisset, nullius culpæ reus foret. Ducitur, quod votum non infringat commutans in melius *c. Peruenit, el* 3. *de jure-jurand.* At status episcopi est perfectior statu regulari *c. Licet, de regular. c. Veniens de jurejur.* Et confirmatur quia votum simplex strictioris religionis dissolvitur laxioris professione, eò quod hæc majus vinculum sit *c. penultimo, de regular. in* 6. Similiter ergo solvetur assumpto episcopatu, qui majus vinculum est. Tandem, quia religiosus manens vere talis, potest fieri episcopus. Ut constat ex *eodem c. Per tuas.* Ergo pariter episcopus manens talis, potest fieri religiosus. Cum ergo hi status non repugnent, nulla erit culpa post religionis votum acceptare episcopatum. Et concordant in hoc, ut nulla sit culpa acceptare episcopatum, & ob id non implere religionis votum, *Manuel* 2. *tomo summæ c.* 6. *n.* 6 *Enriquez lib.* 10. *de sacram. ordinis c.* 32 *in fine.* Sed hæc textus expositio non placet. Quia ea ambitio ex textu non constat: imò cum post electionem consulat Pontificem, quid efficere debeat, potiùs præsumenda est bona intentio. Item ambitio efficeret peccari in procurando, aut acceptando episcopatu: non tamen ut opus renuntiatione ejus esset ad conscientiæ incolumitatem. Cum ambitio non casset electionem: & sufficeret consulere illi, ut iniquam intentionem corrigeret.

3 Aliis placet eum textum procedere ex erronea illius voventis conscientia, qui putabat se culpæ transgressionis voti religionis rem esse acceptato episcopatu. Hunc intellectum inter alios tradunt sub disjunctione, & dicentes fortè ita esse *Host. eo c. Per tuas n.* 2. *Joann. Andr. n.* 6. Alii vero, quos tatito nomine refert *ibi Anton. num.* 7. dicunt procedere ratione scandali. At similiter neutra expositio placet. Quia exposuisset Pontifex veritatem, ut deposita conscientia erronea in episcopatu ille perseveraret: & hac declaratione sedaretur scandalum.

4 Alii explicant procedere, eò quòd electus ille episcopus erat in lethali, utpote qui votum religionis tempore præstituto non implerat. At electio episcopi in mortali existentis est cassanda. Cum eligatur ad ministranda sacramenta; quæ in ministraturo gratiam exigunt. Hunc intellectum enim tradunt sub disjunctione, *Host. & Joan. Andr. n. præcedenti* allegati. Et eum amplectuntur, *Anton. eo c. Per tuas, n.* 7. *& ibi Henricus num.* 4. *Ricardus* 4. *d.* 38. *art.* 5. *quæst.* 1. *ad* 3. *Cordubu summa quæst.* 153. Unde juxta hanc sen-

sententiam non peccaret acceptando episcopatum, si terminus implendi voti lapsus non esset. Et ita asserit *Anton. ibi.* Sed nec hæc expositio placet. Quia si huic rationi inniteretur decisio Pontificis, obligaret solùm ad agendam præteritæ culpæ pœnitentiam, qua redderetur ille sacramentorum ministerio aptus. Nec verè dixisset textus opus esse episcopatus renuntiatione.

5 Et ideò dicendum est, verum illius textus intellectum esse, ut hic teneatur dimisso episcopatu ad religionem transire. Et probatur simul dissoluendo rationes *num.* 2. pro contraria parte adductas. Quia acceptans episcopatum admittit impedimentum religionis promissæ, & sic erit voti reus. Quamuis enim non repugnet, ut religiosus fiat Episcopus: repugnat tamen, ut Episcopus fiat religiosus. Quia ut Episcopus fiat religiosus, oportet illum priùs fieri novitium, & in operibus humilibus versari. Quæ dignitatem Episcopi dedecent. Insuper oportet, ut omnia, quæ possidet, & Episcopatum renuntiet. Quod absque Pontificia licentia fieri nequit. At ut religiosus fiat Episcopus satis est eum à suorum prælatorum obedientia eximi, & subjici soli Pontifici. Secundò, quia ut optimè ait *Cajetan.* statim allegandus, tunc assumptio perfectioris status sufficit, ne dicatur votum imperfectioris status infringi, & hoc votum extinguatur: quando ii status ita distinguuntur, ut in majori claudatur minor: ut sunt diversæ religiones. At secùs est, quando non sic se habet, sed genere distinguuntur. Ut sunt status Episcopalis, & religiosus. Quippe ille est formaliter status perfectionis alienæ: hic autem propriæ. Et ita hanc expositionem proponunt in ultimo loco tamquam meliorem, *Hostiens. & Joann. Andr.* allegati *num.* 3. *Cardin. eodem c. Per tuas, num.* 1. *oppositione* 4. Et tenent *idem Host. summa tit. de voto* §. *Et utrum à voto, num.* 14. *Cajetanus* 2. 2. *quæst. ultima, artic.* 3. *circa solutionem ad* 1. *dubio* 2. *Major. in* 4. *d.* 38. *quæst.* 6. *ad* 4. *Abulensis cap.* 30. *Num. quæst.* 94. *Angelus verb. Votum* 2. *numero* 2. *& verb. Votum* 3. *numero* 15. *Sylvest. verb. Religio* 2. *q.* 20. *& verb. Votum* 3. *in fine, Tabiena verb. Episcopus q.* 7. *num.* 8. *& ibi Armilla num.* 10. *Azor. lib.* 11. *instit. moral. c.* 16. *q.* 2. *& cap.* 22. *quæst. ultima.* Atque benè docent *Sylv. eo verb. Votum* 3. *in fine, & Angelus eo verb. Votum* 2. *num.* 12. esse mortale acceptare Episcopatum eò religionis voto nondom impleto.

6 Sed superest discutiendum, an exigatur licentia Pontificis ad dimittendum Episcopatum illum semel acceptatum, transeundumque ad religionem gratia prioris voti implendi. *Cajetan. & Tabiena num. præced.* allegati censent eam non desiderari. Quia etsi jure communi attento ea desideretur: at in casu ejus textus Pontifex eam concessit illi Episcopo, & in eo omnibus simile votum dignitatem præcedens habentibus. *Azor.* autem *num. præcedenti* allegatus dicit eam licentiam exigi, & teneri Episcopum eam petere. Quia statu executionem voti impediente se obstrinxit. Sed dicendum est, posse textum intelligi de solo Episcopo electo, vel etiam electo, & confirmato. Nec obstant ea verba textus; *Regimen resignes.* Quæ videntur supponere illud jam susceptum, quod ante confirmationem non fit. Quia possunt intelligi de regimine jam susceptio, vel de eo, ad quod per electionem acquisitum erat jam jus. Et ita docent *Joann. Andr. ibi num.* 3. *Anchar. num.* 5. Et tunc si nondum erat confirmatus, potuit absque prædicta licentia resignare. Ut benè docet *Host. ibi num.* 2. *verbo Resignes.* Et constat ex *c. Inter corporalia, de translat. Episcop.* Si verò erat confirmatus, etsi nondum consecratus indigeret licentia Pontificis. Quia *eo c. Inter corporalia*, deciditur non posse Episcopum confirmatum resignare absque Pontificis licentia. Nec ea generaliter conceditur in *eo c. Per tuas*, Episcopo, qui priùs vouerat religionem, sed tantùm declaratur ejus voti obligatio, & illi Episcopo conceditur. Quia in casibus futuris oportet, ut Pontifex consideret, an attentis particularibus circumstantiis, expediatne gratia voti religionis explendi deferat ille Episcopatum: sed potiùs, ut dispensetur in illo voto. Et ita hoc clarè videtur sentire *ibidem Hostiensis*, dicens eum potuisse sine licentia resignare, si non erit confirmatus. Et ideò in hoc casu verum est, quod tradidit *Azor.* & esse necessariam licentiam, & teneri eum illam petere: ob rationem traditam.

7 Verùm dubitari poterit, an teneatur votum Pontifici manifestare, dum eam licentiam petit? Et credo probabilius esse eum non teneri. Tum quia id fieri nequit absque proprii peccati acceptationis ejus Episcopatus detectione. Tum etiam quia numquam promisit, se votum manifestaturum. Et ita verior sententia habet religiosum emittentem votum de re sibi interdicta, tenere petere licentiam, non tamen manifestare votum. Ut dicemus infra tractantes de irritatione.

CAPUT XVIII.

Qualiter impuberes ad religionis, & aliarum rerum vota obligentur: possintque, velint, nolint, à parentibus, vel tutoribus religioni offerri, aut ipsi ingredi? Et quis ejus oblationis effectus sit?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputandæ sint? num. 1.

An puerorum vota religionis, & aliarum rerum obligent? Refertur triplex sententia num. 2. 3. *&* 4.

Explicatur sententia Auctoris, num. 5.

An ætas ad hoc spectanda sit: an potiùs rationis usus? num. 6.

Quid in dubio an sit rationis usus? num. 7.

Post num. 7. *invenies summaria, quæ desiderantur.*

1 DUplex est disputanda quæstio. Prior de obligatione voti religionis, & aliarum rerum, ab impuberibus emissi. Posterior de facultate ingrediendi religionem, & facultate parentum, aut tutorum, ad ipsos offerendos, & extrahendos.

2 Quæstio prior. An impuberes votis religionis, & aliarum rerum obligentur? Non est hic sermo de potestate irritandi hæc uota: nec an valeant vota ipsorum de re à parentibus interdicta: vel eò quòd alienæ voluntati subditi sint, an ex hoc capite vota ipsorum corruant. De his enim agendum est infra, ubi de votorum irritatione. Sed tantùm est hic sermo, an ratione defectus legitimæ ætatis vota hæc irrita reddantur, siue impuberes habeant parentes, aut tutores, siue illis careant. Et quidem aliqui videntur tenere votum religionis non obligare hos impuberes: idque speciale esse in hoc voto. Ita videntur sentire *Glossa c. Mulier, verbo Obligavit* 32. *qu.* 2. *Abbas c. Scripturæ num.* 7. *de voto, Angelus verbo Votum* 2. *num.* 6. ubi dicunt impuberem doli capacem obligari omnino voto præter religionis. Et *idem Abbas c. Significatum num.* 3. *de regular. & Rosella verbo Novitius num.* 8. dicunt votum religionis ante pubertatem emissum non obligare: eo quòd Ecclesia illud irritum reddat. Sed manifestè omnes hi loquuntur de solemni religionis voto. Quippe omnes textus, quos allegant, de eo loquuntur. Sed clariùs videntur hujus sententiæ *Innoc. eo cap. Scriptura, num.* 3. *& ibi Host. num.* 7. *Joann. Andr. num.* 4. *Anton. num.* 3. *Card. num.* 6. *quæst.* 11. *&* 13. ubi dicunt votum religionis impuberum doli capacium absque parentum, vel tutorum licentia emissum, non obligare: secùs de aliis votis personalibus, ut abstinentiæ, & peregrinationis. Qui apertè non loquuntur de solemni religionis voto: id enim ante pubertatem emissum non valet, quantumvis parentum & tutorum consensus accedat. Nec potest dici in eo constitui discrimen inter utraque vota, ut illud non sit omnino firmum, cum irritari valeat: hæc autem firmatam sint. Nam omnia personalia, siue realia impuberum vota, possunt à parentibus, vel tutoribus irritari, quando absque eorum licentia emissa sunt. At re vera non sunt hujus sententiæ, sed in eo inter hæc constituunt discrimen, quòd ejus sententiæ sint, ut solùm simplex religionis votum impuberum possit verè à parentibus, vel tutoribus irritari: alia autem personalia solùm suspendi possint pro tempore, quo eorum potestas durat, & ita dicunt ea cessante obligare. Et ideò dixere id religionis votum non valere absque prædicta licentia factum: quia non omni firmitate, & valore gaudet, utpote quod potest ab ipsis irritari: at cætera dicunt valere, eò quòd credunt irritari non posse, sed tantùm suspendi.

3 Alii censent nulla impuberum vota valida esse. Quòd cum votum sit res gravissima, non quocumque rationis usu contentum est, sed pleno, & maturo indiget: qualis pubertate completa aduenit. Ita tradit *Palacios* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *fol.* 870. *col.* 2.

4 Alii verò opinantur nulla impuberum vota valere, nisi prope pubertatem emittantur. Quippe etsi ante eam ætatem rationis usu ad peccandum sufficienti utantur, non tamen sufficienti ad vota, ratione eorum gravitatis. Ita docent *Sylv. verbo Religio* 2. *quæst.* 15. satis favet circa religionis votum *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 9. *corpore, & qu. ultima art.* 5. *corpore*, ubi ait debitum rationis usum, ut votum hoc pueros obliget, contingere juxta pubertatem, & antè debitum hunc usum non obligare, sicut nec tempore furoris emissum. Ubi manifestè apparet non loqui de rationis usu ad peccandum petito, cum hunc constet septennio communiter accidere: sed de pleno, & perfecto communiter propè pubertatem adveniente.

5 At verissima sententia est, obligari pueros quocumque simplici voto, cum primùm rationis usu ad lethalem culpam patrandam sufficiente gaudent. Ducor, quia ad cujuscumque simplicis voti valorem ea deliberatio sufficit, & necessaria est, quæ exigitur ad culpam mortalem contrahendam. Ut ex ferè omnium mente probavimus *hoc lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 2. Cum ergo ea reperiatur cum hoc rationis usu, obligabit votum. Secundò, quia, tunc potest hic se obliga-

re